



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 8. Quænam observanda circa Ecclesiæ pollutionem, reconciliationem &
exsecrationem?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

pendium sufficiens. Sed recurrendum est ad Episcopum ex Trid. sess. 25. c. 4. imò ad Papam ex decreto Urbani VIII. ubi illud viget.

Q. 8. *Quanam observanda circa Ecclesie pollutionem, reconciliationem & execrationem?*

Resp. I. Est mortale celebrare Missam, vel Officia divina, vel mortuum sepelire in Ecclesia polluta nec reconciliata, vel interdicta, vel execrata: quia est contra prohibitionem Ecclesie in re gravi ad Religionem pertinente. Nulla tamen ideò contrahitur Censura, vel irregularitas, cum nulla sit in jure expressa. Hinc si Sacerdote celebrante Ecclesia notoriè polluitur, tenetur intermittere Missam, si nondum Canonem inchoavit: nam hoc inchoato debet perfici Missa. Ita Missale Rom. jam enim posita est proxima præparatio ad consecrationem,

Resp. II. Ecclesia polluitur seu violatur, ita ut indigeat reconciliatione. 1. Per injuriosam humani Sanguinis effusionem, quæ vox copiam Sanguinis indicat, c. ult. *de consec. Eccles.* & c. un. *cod. Tit. in 6.*

3. Per homicidium voluntarium & injuriosum, licet factum sine effusa Sanguine, ut per venenum, strangulationem, &c. cap. 4. *de consecrat.* & can. 19. *de consec. dist. 1.* unde non polluitur Ecclesia ob inculpabilem occisionem, ut si fiat ab homine mente capto. Requiri-

quiritur autem ut vulnus sit receptum in Ecclesia: unde si quis extra percussus, ad eam confugiat ibique moriatur, vel sanguinem plurimum effundat, non polluitur. At polluitur si vulnere ibi accepto, saucus foras exeat, & extra Ecclesiam moriatur, vel sanguinem effundat; vel si vulneretur in Ecclesia ab existente extra eam jactu lapidis, vel explosione catapultæ.

3. Per qualemcunque humani seminis effusionem voluntariam, c. ult. *de consec. Eccles.* & c. 20. *de consec. dist. 1.* etiam secundum omnes per actum conjugalem; nam verba legis generalia sunt, *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.*

4. Per sepulturam excommunicati non tolerati c. 7. *de consec. Eccles.* secundum multos non polluitur ob sepulturam Hæretici notorii, in locis scilicet ubi Hæretici Catholicis permixti tolerantur, si non sit nominatim denunciatus, quamvis illicita sit, ex c. 2. *de hæret. in 6.*

5. Per sepulturam infidelis non Baptizati c. 27. & 28. *de consec. dist. 1.* & proinde infantis non Baptizati, contra aliquos hoc de infante negantes; quamvis omnes fateantur esse mortale illos ibi sepelire, & inde cadavera illa si possint, extrahenda esse: nam est verè infidelis non Baptizatus.

Observa. 1. Nomine Ecclesiæ quoad hunc effectum non intelliguntur Oratoria in domibus privatis etsi ab Episcopo designata ad celebran-

brandum: nam jura loquuntur solum de Ecclesiis. At secundum varios intelliguntur loca publica, ut Eremitoria aliqua, Hospitalia, & similia quæ nec consecrata nec benedicta sunt, sed deputata ab Episcopo ad hoc ut in iis publicè celebretur; in quibus nequeunt corpora infidelium sepeliri: quia hæc loca comprehenduntur nomine Ecclesiæ, cum ita communiter appellantur. At quælibet Ecclesia, etsi nec consecrata nec benedicta, secundum illos polluitur ex c. ult. *de consec. Eccles.* & c. 10. *de immunit.* &c.

2. Coemeterium benedictum polluitur iisdem modis, quibus Ecclesia, ita ut mortale sit in eo sepelire; & eodem modo reconciliatur.

3. Uterque locus non indiget reconciliatione, quæ est actus publicus, nisi factum publicè constet, & notorium sit, ita ut nullâ tergiversatione celari possit; nec sufficit quod per duos vel tres testes probari queat.

4. Etsi isti actus sint occulti, sunt tamen vera sacrilegia, utpote ab Ecclesia prohibiti ob reverentiam loco sacro debitam. Et verò si illi actus postea fiant notorii, Ecclesia eget reconciliatione: ergo antè notorietatem jam erant sacrilegi & contra prohibitionem Ecclesiæ; non enim tales incipiunt esse, dum publici fiunt. *Ita commun.*

5. Ecclesia non censetur polluta, si aliquid ex dictis contigerit supra Ecclesiæ fornicem
vel

vel tectum, vel in cameris adhærentibus, in turri, vel subterraneo specu, qui non sit ad sepulturam, vel secundum multos in Sacristia: quia hæc non pertinent ad Ecclesiæ Corpus, nec cultui divino deputantur; ac proinde tunc non committitur sacrilegium. Secus, de Capellis, quia sunt partes Ecclesiæ, & ad Sacrificium destinatae sunt.

6. Pollutâ Ecclesia polluuntur simul Altaria, imo & Cœmeterium, si sit ei contiguum: quia accessorium sequitur conditionem principalis, ex Reg. 42. Jur in 6. Secus, si ab ea remotum fuerit. At polluto Cœmeterio, non ideo polluitur Ecclesia, nam minus non trahit ad se majus, nec accessorium principale, c. un. de consec. Eccles. vel Alt. in 6.

Resp. III. Ecclesiæ pollutio tollitur ejusdem reconciliatione. Si fuerit tantum benedicta, potest reconciliari cum aqua benedicta communi per simplicem Sacerdotem ex Licentia Episcopi. Si consecrata sit, reconciliari potest à solo Episcopo, c. 9. de consec. Eccles. idque ritu in Pontificali præscripto.

Porrò non reconciliatur præcisè per celebrationem Missæ, etiam bonâ fide factam. Ita De Lugo, Azor, Layman, & alii. Tum quia per illam Ecclesia non consecratur: tum quia Consecratio & Benedictio, & reconciliatio, cum sint Jure Canonico instituta, debent fieri per ritus à canonibus præscriptos: at nullus
Canon

Canon ista per celebrationem Missæ perfici
statuit.

Resp. IV. Ecclesiâ exsecratur, seu amittit
suam consecrationem, ita ut denuò consecrari
debeat, si parietes Ecclesiæ secundum mayo-
rem partem destruantur, aut corruant; vel
omnis eorum crista, aut major saltem pars
simul auferatur, ex c. 20. de consec. dist. 1.
iuncto c. *Lignis* de consecrat. Eccles. secus, si
parietes paulatim & successivè destruantur ac
reficiantur; quia semper manere censetur
idem numero Templum: modò tamen pars,
quæ additur, non sit major, quia id quod ma-
jus est, censetur ad se trahere quod minus est.
Neque si tectum solùm corruat, quia conse-
cratio est potissimum in parietibus, & exte-
rioribus crustis, ubi linitio & cruces fiunt, ex
cit. juribus. Porro exsecratâ Ecclesiâ,
non ideò exsecrantur altaria, nec
vicissim.

